



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titulus XLII. De Alienatione Judicii mutandi causa factâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

TITULUS XLII.

De

Alienatione Judicii mutandi
causa factâ.

QUÆRES 1. Quid sit rem Judicii mutandi causâ alienare, & quis hujusmodi alienationis effectus? Resp. Est, rei, super qua controversia movenda timetur, dominium in alium dolosè, id est eâ intentione transferre, ut alienans in judicio ab adversario suo, desuper Convinciri nequeat. Cum verò alteri per alterum iniqua conditio inferri non debeat, nec æquitas patitur, per alterius fraudem vel dolum, alteri præjudicium generari, *cap. 76. de reg. jur. in 6.* hinc prætor æquitate motus præjudicium passo subvenit, concedendo ei actionem in factum, infra annum utilem, adversus eum qui rem dolosè alienavit, ad id quanti interest, rem alienatam non fuisse, quâ ratione præjudicium passus restituitur quasi in integrum, eò quòd pristina actione contra alienantem utilis & agat, perinde ac si alienatio facta non fuisset. Contra heredem autem non datur, nisi quatenus ad eum pervenit, nec post annum; licet enim sit actio restitutoria, & rei persecutionem, præstationemque ejus, quod interest, contineat, ex delicto tamen, sive fraude & dolo alienantis censetur competere. *l. 4. §. hac actio. l. 5. 6 & 7. ff. b. t.*

QUÆRES 2. Quid requiratur ut hæc actio in factum agi possit? Respond. Sex esse requisita. 1. Requiritur actus alienationis, id est, ut rei

contro

controversæ dominium vel saltem possessio transferatur in alium. l. 4. §. ff. h. t. 2. Ut ejusmodi alienatio facta sit inter vivos ; & non per ultimam voluntatem. l. 8. §. 3. ff. eod. cum aliàs non censeatur dolo facta. 3. Ut fiat causâ mutandi iudicii, quia qui ob necessitatem, vel aliam causam rationabilem alienat, hac actione minimè conveniri poterit, cum dolum requirat. 4. Ut fiat ex causâ iudicii futuri, non verò inchoati sive cœpti de facto, quia alienatio rei lite pendente facta ordinariè est ipso jure nulla, adeoque tali casu restitutionis remedio opus non est. 5. Ut fiat dolo ; Dolo autem res alienata censeatur, si vel in adversarium potentiorum, vel alterius jurisdictioni subiectum transferatur, utroque enim casu durior & difficilior redditur causa actoris. 6. Denique requiritur, ut intersit actoris, rem alienatam esse, propter incommoditatem instituendæ difficulter actionis, propter majores expensas in re recuperandâ faciendas, aut propter damnum, quod quis ideò passus est ; si enim non intersit, actio hæc non competit.

QUÆRES 3. Quis sit factæ alienationis effectus ? Respond. Præter actionem in factum superius explicatum alienatio hæc de jure Canonico hunc operatur effectum, quod is, in quem res dolosè translata est, per rescriptum à Pontifice impetratum conveniri possit, etiamsi non contra illum sed contra alienantem impetratum fuerit. cap. 1.

b. t.

M 4

TITU